



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 6. Acta, & Statuta primi Concilii Mediolanensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

pio de Este Casalensis, & Nicolaus Sfondratius Cremonensis præter alios: porro prima Sessio inchoabatur præmissa solemni supplicatione, qua finita, sacroque decantato Cardinalis initium Synodo fecerat, habita oratione, in qua de Conciliorum Provincialium institutione differens eorum necessitatem demonstratum ibat. Dein inter prima negotia ei erat sollicitudo, quomodo Tridentinæ Synodi decreta promulgerentur, atque acceptarentur, simulque eorum executio injungeretur omnibus Provinciæ Episcopis, qui quoque fidei suæ professionem publice emittentes circa disciplinam Ecclesiasticam plura statuta, ac decreta, præcipue vero circa ea, quæ ipsorummet Episcoporum vitam, mores, & disciplinam concernunt, a se concepta proponebant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

§. VI.

Acta, & Statuta primi Concilii Mediolanensis.

Primi hujus Mediolanensis Concilii Constitutiones in tres divisæ sunt partes, in quarum prima fidei Catholicæ professio reperitur, agiturque de aptis fidem conservandi mediis, ubi statuuntur etiam quædam contra illos, qui sacris literis abutuntur: postea Synodus agit de Scholarum Magistris, de

Labb. Collect. Conc. tom. 15. pag. 246. & seq.

Bb 3

doctri-

Sæcul. XVI
A.C. 1565.

doctrina Christiana per Parochos singulis Dominicis, & festis in Parochiis explicanda, de præbenda Theologo Cathedrali adjicienda, & de prædicatione Verbi Divini, circa quod caput extrema profus præcepta traduntur. Præscribitur quoque, quid observandum sit in sanctarum Imaginum cultu, & reliquiarum veneratione, ubi pertractatur de iis, quæ Magiam, & divinationes concernunt.

Altera pars continet ea, quæ in genere ad Sacramentorum administrationem necessaria sunt, postea autem declarantur ea, quæ concernunt Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Missam, Pœnitentiam, jejunium, extremam Unctionem, Ordinem, Clericorum Seminaria, Beneficiorum collationem, necnon requisita ad Parochias, vel Canonicatus seligendorum examina, ac prudentem, honestamque Episcoporum, & Clericorum conversationem. Præcipitur quoque ibidem speciatim, ut Ecclesiastici sæpe Sacrificium celebrent, nec suam dignitatem vilipensionem exponant, sed modeste vestiantur, sobria, ac frugali mensa, necnon prudentibus, & honestis famulis utantur, simulque horis Canonicis assistant. Præterea enarrantur libri a Clericis pervolvendi, omnesque Ecclesiastici præcipue

incipue ad veteris, & novi Testamenti Sæcul. XVI.
A.C. 1565.
studium admonentur, necnon ad lectio-
nem Catechismi Romani, qui proxime e-
dendus esset: insuper iidem ad Triden-
tinæ Synodi, & Diæcesanarum Consti-
tutionum lectionem incitantur: injun-
gitur etiam Parochis, ut homelias ab
Episcopo selectas, necnon Theologicam
Divi Antonini summam, aliosque libros
ab Episcopo designatos, præter sancti Gre-
gorii Pastorale, & sancti Joannis Chry-
sostomi tractatum de Sacerdotio penes
se habeant.

§. VII.

Actum de Ecclesiasticorum officiis.

Postea sigillatim, atque exacte recen-
sebantur omnia Ecclesiasticorum
officia, ac præprimis illis præcipitur,
ut præter tonsuram, tonsamque cæsa-
riam deferant habitum clericalem suo
Ordini, ac dignitati congruum, atque
a mulierum consortio abstineant, imo
suas etiam affines a suis ædibus exclu-
dant, nec etiam arma deferant, aut
publicis ludis, & spectaculis intersint,
nec sese profanis implicent negotiis, sed
in suis beneficiis resideant: Episcopi
autem cujuslibet Parochiæ statum sibi
cognitum habeant, ibidemque Vicarios
constituant, qui ipsorum Diæceses se-
dula visitent: his præmissis agitur de